



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis


Reiffenstuel, Anaklet

Monachii, 1699

Quæstio I. Quid, & quotuplex sit Immunitas Ecclesiastica, & quo jure
constituta?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40206

tempore Decimarum solvendarum fuerit constitutus in extrema necessitate, prorsus liberatur obligatione eas persolvendi: cum tunc omnia sint communia, & sic ipse consumpserit, quod suum erat. Verum, qui gravem solum necessitatem patitur, is liberatur non simpliciter, sed donec melior fortuna aspiret.



TRACTATUS XII.

De Immunitate Ecclesiastica, & Indulgentijs.



1. **Q**uia præsens materia omnibus Clericis scitu valde necessaria existit, ne, quæ proprium statum, & Ecclesiæ sibi concredita jura concernunt, culpabiliter ignorent: ea juxta methodum à pluribus Authoribus observatam, in Theologia Morali merito pertractatur. Id ipsum, dimissis difficilioribus ad Jus Canonicum Quæstionibus, breviter præstabit præsens Tractatus; ita tamen, ut ad finem ejusdem simul agatur de Indulgentijs.

Ratio ordinis.

DISTINCTIO I.

De Immunitate Ecclesiastica ut sic, ejusque Speciebus,

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Immunitas Ecclesiastica,
& quo jure constituta?

2. **I**mmunitas sic dicitur à munere. Munus enim tripliciter accipitur. I. Pro dono: sic munera dari, mitti dicuntur. II. Pro officio: unde Munera militaria, Munera civilia, qualia

Munus tripliciter accipitur.

A a a a 3

solent

solent esse conjuncta cum honore. III. Pro obligatione, seu functione cuiusdam imposta: quo modo & *Municeps*, quasi communium onerum, seu *munerum particeps* dicitur. Et *Muneri* sic accepto opponitur *Immunitas*, quæ est exemptio, sive liberatio ab eujusmodi obligationibus, & oneribus. Hæc ad propositum applicando, sit

Immunitatis
ethymon.

Immunitas
Ecclesiastica,
quid?

Est triplex.

Localis,
Realis, &
Personalis.

Certum est
Immunitatem
Ecclesiasticam
esse
de Jure
Divino
quoad
ea, quæ
verè
sunt
spiritualia.

Immunitas
Ecclesiastica
etiam
quoad
alia
est
aliqua
ratione
de
Jure
Divino.

3. CONCL. I. *Immunitas Ecclesiastica est exemptio, sive jus, quo Ecclesiæ res, & personæ Ecclesiasticæ, à publicis muneribus seu oneribus sæcularibus liberæ sunt. Ita Doctores passim, & patebunt singula ex dicendis.*

4. CONCL. II. *Ejusmodi Immunitas rectè dividitur in localem, realem, & personalem. Ita communis. Et quidem Immunitas localis est, quæ convenit Ecclesijs, aliisque locis Ecclesiasticis. Realis, quæ competit rebus Ecclesiasticis; id est, bonis ad Ecclesiam, vel personas Ecclesiasticas pertinentibus. Personalis tandem, quæ debetur personis Ecclesiasticis.*

5. CONCL. III. *Certum est, quòd Clerici, Ecclesiæ, earumque bona, si spectentur quoad ea, quæ verè & propriè spiritualia sunt, Jure Divino sint exempta à jurisdictione & potestate sæculari. Ita Covarruvias Pract. Quæst. cap. 31. num. 2. concl. 1. Barbosa lib. 1. Juris Eccles. univ. cap. 39. §. 2. num. 6. & communis aliorum. Exemplificatur hoc de Sacramentis, quorum cognitio ad solum Judicem Ecclesiasticum pertinet; adeò quidem, ut juxta Concil. Trid. Sess. 24. can. 12. Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos, anathema sit. Idem accidit in Donis supernaturalibus spiritualibus, in Beneficijs Ecclesiasticis, in rebus sacris, & alijs similibus, ad quorum decisionem supernaturalis cognitio requiritur. Ratio est: quia super his nullam omninò potestatem à Deo acceperunt Principes sæculares (his quippe tota potestas sua immediatè à Republica communicatur) sed ad talia dijudicanda per Christum supernaturaliter instituta fuit potestas Ecclesiastica, & tradita D. Petro, Ioan. 21. ibi: *Pasce oves meas*; eujusque legitimis Successoribus, ac per hos cæteris Ecclesiæ Prælatibus.*

6. CONCL. IV. *Etiam quantum ad alia, prorsus concedendum est, quòd Immunitas Ecclesiastica, seu exemptio Clericorum, Ecclesiarum, rerumque Ecclesiasticarum, aliqua ratione sit de Jure Divino. Desumitur hoc ex diversis textibus Juris, dictam Immunitatem esse Juris Divini clarè attestantibus. Loquendo enim de personali exemptione Clericorum, eam haberi*

de

de Jure Divino, patet ex c. Si Imperator. dist. 96. & c. Sylvester. & c. Relatum. 11. q. 1. cum concordantijs. Deinde generatim loquendo de exemptione, seu Immunitate Ecclesiarum, habetur textus clarissimus c. Quamquam. de Censibus in 6. ibi: Cum igitur Ecclesia, Ecclesiasticaq; persona, ac res ipsarum, non solum jure humano, quin & Divino, a secularium personarum exactionibus sint immunes. Et ibidem Glossa y. Divino, probat hoc ex Genes. cap. 47. Ubi Pharaon Rex Aegypti terram Sacerdotum fecit immunem & liberam, ne tenerentur cum alijs quintam partem fructuum solvere Regibus. Unde & in veteri Lege Sacerdotes, & Levitæ, erant exempti à jurisdictione sæculari aliarum Tribuum, & obligatione solvendi tributa. His accedit Concilium Tridentinum Sess. 25. cap. 20. de Reform. ubi ait, Ecclesia, & personarum Ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus constitutam. Concordat cap. Nimis. de Jurejurando, junctis varijs Concilijs.

7. Dicitur notanter in Conclusionem, aliquà ratione sit de Jure ^{qua ratio.} Divino. Siquidem in hoc amplius declarando variant ^{ne hoc fiat,} Doctores, ^{variant} Et quidem non pauci volunt, ejusmodi exemptionem non esse ^{Doctores.} de Jure Divino obligante, sed solum à Lege humana, seu per privilegia in Corpore utriusque Juris clausa: dici tamen quadam ^{1. Sententia.} ratione esse de Jure Divino, scilicet originaliter & initiativè, quatenus Legi naturali valde conformis est, atque à veteri Lege ^{(a) Tract.} Divina originem duxit: prout in simili superius (a) dictum est, ^{11. Dist. 4.} Decimas Divinam constitutione deberi. Et hujus sententiæ sunt ^{n. 16.} Covarruvias loc. cit. n. 2. concl. 3. Lessius lib. 2. de just. & jure, cap. 33. num. 30. Molina, Garcias, & plures alij, quos citat Barbosa cit. §. 2. n. 1.

8. Alij econtrà probabilius, Jurique conformius esse censent, Clericos etiam in temporalibus Jure Divino à Civili Potestate exemptos esse; prout fortiter urgent textus num. 6. relati, atque tenet Glossa c. Si imperator. dist. 96. & c. Quamquam. de Censibus in 6. Abbas c. Ecclesia S. Mariae. n. 6. de Constitut. Barbosa cit. cap. 39. §. 2. n. 5. & rursus §. 5. n. 3. pro hac sententia allegans decisionem Rotæ, & plurimos Doctores; Layman lib. 4. tract. 9. cap. 8. n. 1. Engel tit. de Immunit. Eccles. n. 23. aliique communius; quibus novissimè accessit Prosper Fagnanus c. Ecclesia S. Mariae. n. 10. de Constitut. asserens, quòd crebrior gravissimorum interpretum sententia est, eam exemptionem esse de Jure Divino.

H. Jurique conformior sententia.



Instantia
contra hanc
solvitur.
(b) Tract.
11. Dist. 4.
n. 14. &
seqq.

9. Neque obstat allata instantia de Decimis : nam Decimas etiam hodie esse Juris Divini, quatenus requiruntur ad necessariam Ministrorum Ecclesiæ sustentationem, superius (b) jam dictum est. Verum de hoc plura Canonitæ.

Q U Æ S T I O II.

In quibus consistat Immunitas localis, five Ecclesiarum ?

Immunitas
localis con-
sistit in
duobus ; &
quibus ?

10. **C**ONCL. I. Immunitas localis (quam alij appellant *Immunitatem Ecclesiarum*, sub his etiam comprehendendo Cæmeteria, & alia loca Religiosa) consistit in duobus : videlicet, ut actus profani, & sæculares ab Ecclesijs arceantur : deinde, ut malefactores ad Ecclesias confugientes, ibidem in vita & membris protegantur, neque violenter inde extrahi possint. Et quidem de hoc posteriori fufius dicitur *Distinct. sequenti* ; quantum verò ad prius attinet, sit

Judicia sæ-
cularia pro-
hibentur
fieri in Ec-
clesijs, vel
Cæmeterijs,
sub nullita-
te actus.

11. **C**ONCL. II. Inprimis in Ecclesijs, earumque Cæmeterijs, prohibitum est, exercere judicia sæcularia ; adeò quidem, ut totus Processus judicialis, & sententia super causa sæculari ibidem lata, ipso jure irrita, & nullius roboris existat. Ita expressè statuitur *c. Decet. §. fin. de Immunit. Eccles. in 6.* ac tenent Doctores communiter. Et hoc quidem procedit non solum de causis criminalibus, sed etiam de civilibus ; quæ ad Forum sæculare pertinent ; uti patet ex textu. Maxime tamen Immunitati Ecclesiarum repugnat, atque *absurdum est, & crudele, si iudicium sanguinis ibi exercatur, ubi est tutela refugij constituta*, ut dicitur *c. Cum Ecclesia, de Immunit. Eccles.* Ubi proin, præter nullitatem processus, etiam sub pœna excommunicationis prohibetur agitare causas sanguinis in Ecclesia, vel Cæmeterio.

Secus di-
cendum de
Judicijs Ec-
clesiasticis.

12. Dicitur notanter, *Judicia sæcularia*. Siquidem Ecclesiastica Judicia ibidem validè, & licitè tractari possunt, *arg. c. Qua fronte, de Appellat.* & docet Glossa communiter recepta *cit. c. Decet. §. Sæcularium, de Immunit. Eccles. in 6.*

Solvitur in-
stantia.

13. Nec dicas. Judicia Ecclesiastica prohibentur exerceri in die Festo, non minùs, ac sæcularia ; ergo etiam utraque prohibentur exerceri in loco sacro. Resp. enim negando consequentiam & paritatem : nam æquè, imò plus decet, ut Clerici in Forensibus actibus non occupentur diebus Festivis, ac Lai-

ci.